

<sup>1</sup> Factum est autem, in diébus illis éxiit edíctum a Cásare Augústo, ut describerétur univérsus orbis. <sup>2</sup> Haec descríptio prima facta est præside Sýriae Quírino. <sup>3</sup> Et ibant omnes, ut profiteréntur, singuli in suam civitátem. <sup>4</sup> Ascéndit autem et Ióseph a Galilæa de civitáte Názareth in Iudéam in civitátem David, quae vocátur Béthlehem, eo quod esset de domo et família David, <sup>5</sup> ut profiterétur cum María desponsáta sibi, uxóre praegnánte. <sup>6</sup> Factum est autem, cum essent ibi, impléti sunt dies, ut páreret, <sup>7</sup> et péperit filium suum primogénitum; et pannis eum invólvit et reclinávit eum in praesépio, quia non erat eis locus in deversório. <sup>8</sup> Et pastóres erant in régione eádem vigilantes et custodiéntes vigílias noctis supra gregem suum. <sup>9</sup> Et ángelus Dómini stetit iúxta illos, et cláritas Dómini circumfúlsit illos, et timuérunt timóre magno. <sup>10</sup> Et dixit illis ángelus: “Nólite timére; ecce enim evanélizo vobis gáudium magnum, quod erit omni pópulo, <sup>11</sup> quia natus est vobis hódie Salvátor, qui est Christus Dóminus, in civitáte David. <sup>12</sup> Et hoc vobis signum: inveniétis infántem pannis involútum et pósitum in praesépio.” <sup>13</sup> Et súbito facta est cum ángelo multítudo milítiae caeléstis laudántium Deum et dicéntium: <sup>14</sup> “Glória in altíssimis Deo, et super terram pax in homínibus bonae voluntátis.” <sup>15</sup> Et factum est, ut discessérunt ab eis ángeli in caelum, pastóres loquebántur ad ínvicem: “Transeámus usque Béthlehem et videámus hoc verbum, quod factum est, quod Dóminus osténdit nobis.” <sup>16</sup> Et venérunt festináentes et invenérunt Maríam et Ióseph et infántem pósitum in praesépio. <sup>17</sup> Vidéntes autem notum fecérunt verbum, quod dictum erat illis de púero hoc. <sup>18</sup> Et omnes, qui audiérunt, miráti sunt de his, quae dicta erant a pastóribus ad ipsos. <sup>19</sup> María autem conservábat ómnia verba haec cónferens in corde suo. <sup>20</sup> Et revérsi sunt pastóres glorificáentes et laudántes Deum in ómnibus, quae audíerant et víderant, sicut dictum est ad illos.